

ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
H. T.
DECANVS
ABRAHAMVS
VATER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE D.
ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.
AC SOCIETAT. IMPER. NATVR. CVR.
ET REGIAR. LONDIN. ET BEROLIN.
SOCIUS

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
E V M Q V E

AD
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
D. XXIX. MART. MDCCXL.

HABENDAM
PER QVAM OFFICIO SE INVITAT



ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA MITTENBERGENSI
H. T.
DECANUS
ABRAHAMAS
VATER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE D
ANAT ET BOTANICAE PROFESSORI ORDINI
ACADEMICO IMPER NATUR CAR
ET MEDICINA ET PHARMA
SOCIIS

LECTORI BENEDICTO
EVAMONAE

DISSERTATIONEM IN VITRINAE
AUXILIIS MATERIALE

DETULIT ET DEDIDIT IOACHIMUS



Q. D. B. V.



paradoxum semper uisum est, et
adhuc dum omnibus, exceptis forte solis Physicis ac Me-
dicis, harum rerum gnaris, ui-
detur, nullum in uniuersa re-
rum natura dari uenenum, sed
quaecunque nota toxica, licet peremptoria et
summe deleteria, pertinere ad corpora naturalia,
a Summo Conditore in usum hominum creata,
in se et sua natura bona ac innoxia esse, et saltim
sub certis conditionibus, quoad indecentem

a 2

prae-

praeparationem et applicationem, uiuentibus
nocere, ac lethifera euadere. Non opus est,
ut hoc effatum multis argumentis atque exem-
plis corroborare annitar, cum hoc ab aliis iam
sit praefitum. Testatur de hoc FRICCI *Tra-*
ctatus de uirtute uenenorum medica, Vlmae, anno
1701. ab Auctore editus, et 1710. Augustae Vin-
delicorum, sub titulo, *paradoxa de uenenis*, ite-
rum impressus, in quo omnia uenena interne et
externe usurpata, non noxia, sed praestantissi-
ma contra morbos desperatos, remedia esse, de-
monstrare allaborauit. Idem etiam pluribus ar-
gumentis et exemplis confirmauit B. PAREN'S in
Physiol. Experim. append. de uenenis, cap. i. quaeſt. i.
Praeclarum huius rei exemplum nobis praebet
Laurocerasus arbor, cuius folia ad cupedias per-
tinent, quia cum lacte infusa eidem gratum con-
ciliant saporem, sed haec ipsa destillatione aquam
praebent extreme uenenatam, quae hominibus
atque brutis propinata, eadem subito internecat,
uti experimenta in Anglia facta, et apud nos re-
petita testantur, quae uideri possunt in *Dissert. n.*
de indole Laurocerasi uenenata. Impraeagnare nunc
confueui hac aqua farinam, quae escam praebet
aptam ad decipiendos et necandos glires atque
mu-

mures, et insignem eorum stragem edit. Tot experimentis cum hac aqua factis, multi uix induci possunt ad credendum, anguem adeo interneviuam in hac herba latere, causam intserentes, se toties lacte cum his foliis infuso, absque ulla noxa percepta, usos esse. Nonnemo in peregrinatione per hanc urbem, me quoque salutans, adstitit experimento cum aqua Laurocerasi in cane instituto, qui horrendas conuulsiones, inde secutas perspiciens, admirationem dissimulare non potuit, assuerans, se non tantum, more aliorum, frequentissime lac, cum his foliis infusum, cum delectatione bibisse, sed etiam masticatione horum foliorum adeo delectatum fuisse, ut plus simplici uice eadem masticando, succum extractum deglutuerit, imo fructus huius arboris manipulatim comedenter, absque ullo incommodo exinde percepto. Sed mirari desinent omnes effectum hunc diuersum, si audiant, in chymicis toto die ex corporibus plane innoxii et salutibus, praeparari praesentissima uenena, atque ex his rursus fieri utilissima pharmaca. Exempli loco adduco solum Mercurium uiuum, qui per se ad aliquot uncias in malo Iliaco impune propinatur, nec nisi in uaporem resolutus, ac per trans-

a 3

spi-

spirationem et respirationem receptus, corpori nocet, cum salibus uero sublimatus, potentissimum praebet uenenum, Mercurium sublimatum corrolium, qui tamen, sublimatione cum nouo Mercurio iterata, naturam suam corrosiuam exuit, et dulcis euadit. Videtur itaque uirulenta Laurocerasi natura potissimum pendere a destillatione, qua salino-sulphurea substantia horum foliorum, a confortio reliquarum fixiorum, terrearum atque uiscidarum liberatur, atque efficacia eiusdem exaltatur, ut effectum adeo nocuum edat. Suadet id diuersitas operationis huius aquae, prout destillatio uel cum aqua, uel cum spiritu uini, instituitur, aut aquosa cum hoc miscetur, quia haec citissime homines et bruta extinguere obseruata est, absque conuulsionibus, ista uero aquosa lente magis necat, et atrocissimos motus conuulsuos excitat. Experiundi cupidus, quid ad domandas istas conuulsiones, a ueneno induetas, ualeat oleum animale, periculum aliquando feci, et cani, a propinata Laurocerasi aqua, per horae fere spaciū enormiter conuulso et agonizare uiso, spiritum uini hoc oleo impregnatum infudi. Voto et expectationi respondit euentus, extemplo quippe conuulsiones nota-

notabiliter imminutae fuerunt; sensimque cessarunt, canis, qui usum artuum dudum amiserat, nec amplius corpus eleuare poterat, orci fauibus eruptus, ex insperato in pedes se protinus coniecit, laetusque auolauit. Remansit tamen in illo impotentia latrandi, et ad aliquod tempus durauit, ob grauissime affectos musculos oris et faucium, a conuulsionibus perpeſſis. Reuocat mihi hoc in memoriam obſeruationem singularēm Clariss. MOLLERI, Medici Neosoliensis, quae in *Actis Breslauiens.* anno 1722. mense Mart. class. II. §. 5. ex ipsius communicatione reſcenſetur. Hic aliquando puellae, a morsu canis rabidi praegresso, uomitibus, conuulsionibus et hydrophobia affectae, uiginti quinque guttas olei animalis, ob denegatam deglutitionem liquidorum, cum Conſerua Rosarum rubrarum ſicca, in forma boli deglutienda dedit, unde mox uomitus, et post duas horas hydrophobia ceſſauit, aegraque potum efflagitauit, et libere cereuſiam et aquam per integrum diem ingurgitauit, ſed quia paulo plus bibit, ob uentriculum oneratum, iterum uomere coepit, redierunt etiam conuulsiones, atque hydrophobia pariter reuersa, ad extreum uisque halitum durauit.

Ita

Ita quidem experimentum cum oleo animali in
hoc casu institutum, euentu optato caruit, ob im-
prudentem potus nimii ingurgitationem, quod
merito doluit laudatus Vir, notatu dignissima
tamen est haec obseruatio, qua efficacia huius
olei in sistenda hydrophobia, alias insuperabili
credito affectu, innotuit. Quamuis enim una
hirundo non faciat uer, et singularis obseruatio
non sufficiat, ut eundem nobis effectum semper
promittere queamus, occasionem tamen praebet
aliis, data occasione idem tentandi, et experien-
tia multiplici uirtutem olei huius confirmandi,
quod, ut ab uno Medico peragatur, non semper
adest opportunitas. Eaque etiam est causa,
quamobrem hoc tempore unicam meam obser-
uationem, de efficacia olei animalis, contra ue-
nenum aquae Laurocerasi in cane factam, publi-
ci iuris facio, nullatenus in me recipiens eun-
dem ubiuis effectum secuturum. Tantum in
praesenti ob argumenti affinitatem, exposuisse
sufficiat, occasione dissertationis inauguralis,
quam clarissimus medicinae Candidatus defen-
det. Huius uitae curriculum, uti ipse exposuit,
ita se habet.

Ego,

Ego, Daniel Dietericus Iacobi, Anno salutis per Christum restitutae Millesimo septingentesimo decimo octavo, die undecimo Iulii, hanc lucem Quedlinburgi primum aſpexi. Patrem IOHANNEM ANDREAM IACOBI, mercaturaे deditum, in cineribus ueneror. Matrem charissimam, ex Gente LOESCHERIANA, ortam, adbuc mibi singulari immortalis Dei prouidentia clementiaque reliquit, ANNAM CATHARINAM IACOBI, amplector. Dilectissimi hi parentes a teneris in pietate, doctrina moribusque, coniunctis, quoad Deo placuit, uiribus, me nutriuerunt et erudierunt. Praecepto-ribus priuatis publicisque eruditione, morumque integritate claris me tradiderunt. Ad publicos Praeceptores refero honoratissimum Seruestanae Musicos Directorem, Dominum SIECHIVM, Amplissimos, et iam dudum inter coelitum numerum relatos Correctores, Dominum KESLERVM, et THOR-SPECKIVM. Horum memoriam, tum memori ipſe mei ero, et dum ſpiritus bos artus reget, nulla temporum iniuria ex meo delebit animo gratissimo. Nec praetereundus pietatis cultu aeternum Honorandus, Clarissimus, Amplissimusque Licei Seruestani Rector, Dominus DENZER, cuius fidelissimam et solidissimam institutionem, singularem humanitatem fatis

expertus sum, ualdeque depraedico. Omnibus itaque inclitae illius Seruastanae Scholae classibus fere absolutis, consilio Praeceptorum, Anno huius Seculi tricesimo septimo, Mensē Februario, ad sedem Musarum celeberrimam, quae Vitembergae est, perueni. Hic omnem operam, studium et diligentiam in studiis philosophicis, atque Arti Salutari, consumere, Summi Numinis Auspicio nixus, decernebam. Ante uero quam studio medico operam darem, in scholas philosophorum me contuli, probe sciens, philosophiam reliquas disciplinas abstrusiores altioresque rite pertractandi esse Autorem, eisque quasi faciem praeferre, instrumentum eas recte suscipiendi suppeditare, fores ad omnium scientiarum genera facilitiore uia perueniendi, aperire. Eam ob causam in foro philosophico aliquantum immoratus, docentibus praecellentissimis et amplissimis Viris LAHRIO, HAFERVNGIO, SCHVBERTO, facultatis philosophiae Assessoribus, Logica, Metaphysica, Theologia naturali, Cosmologia, Psychologia, Iure naturae, Ethicisque praeceptis animum imbui. In physicis Praeceptore usus sum Viro Excellentissimo et longe celeberrimo Domino BOSIO, Physices Professore Publico. Horum ex lectionibus cum tantum profecisset, quantum ad artem salutarem rite adiscen-

descendam requiri uidebatur, animum ad illam applicau. Operam itaque Medicinae natuui, et in omnibus huius disciplinae partibus perquam fideles Doctissimosque Praeceptores habui, Rectorem Academiae Magnificum, STENTZELIVM, itemque ABRAHAMVM VATERVM, Viros excellentissimos, et Medicinae Professores famigeratissimos. Vsus quoque sum Ductore Viro Praenobilissimo et Experientissimo AVGVSTO FRIDERICO BERTRAMO, Doctore Artis Salutaris laude dignissimo. Peractis sic in Academia nostra inclita, annis tribus cum dimidio, optimisque scientiarum fructibus collectis, studiis meis academicis finem imponere apud animum constitui, et Practicis officiis in patria mea Summi Numinis auspicio, me dicare, decreui.

Finitis ita studiis academicis, idem a Facultate nostra Licentiam, ad summos in Arte Salutari Honores aspirandi, modeste petiit et impetravit. Ad Examen quippe admissus, talem se praestitit, quem optauimus, adeoque locum inter Medicinae Candidatos promeruit. Supereft, ut publicum doctrinae specimen edat. Futuro igitur die Martii XXIX. sub Praesidio Pro-Rectoris Academiae Magnifici, Domini


b 2

CHRI-

CHRISTIANI GODOFREDI STENTZELII, Medicinae Doctoris et Professoris Publici Celeberrimi, Patroni et Collegae Honoratissimi, de VENENATA VINI ALIMENTI AC MEDICAMENTI OPTIMI VIRTUTE disputabit. Ad hunc Actum solemnem, ut Illustrissimi Comites, Perillustris Liber Baro, Patres Conscripti, reliquique Literarum Fautores, beneuole accedere uelint, officiosissime rogo atque oro.

Dabam d. XXVII. Martii A. S.
MDCC XL.

Vitembergae, typis Schlo machianis.




KD78

ULB Halle
006 666 019

3







ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
H. T.

DECANVS
ABRAHAMVS
VATER

1740
23
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE D.
ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.
AC SOCIETAT. IMPER. NATVR. CVR.
ET REGIAR. LONDIN. ET BEROLIN.
SOCIUS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

E V M Q V E

AD

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
D. XXIX. MART. MDCCXL.

HABENDAM

PER QVAM OFFICIOSE INVITAT

